

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmeftadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Disputatio VII. De justificatione

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)

telligetur enim non tantum illa non præstare, sed potius quæcum illis pugnant ex diametro, fenestram scilicet vel securitati vel desperationi aperire, pietatis studium exinacire, & demum blasphemias extortum ire. *Quid enim ultra speret, ait Faustus, quem jam gratia suam fecit? in quo econtrario non desperet, quem præsnitio violenta damnavit? Et quid orare homini proderit in unâ harum conditione constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat, utramque tamen partem fixam esse & immutabilem non ignorat. Et in quo scelere necessitatem non excuset, causæturque*

lib. 1, c. 4.

Sic Jovis imperia, & nigras voluisse sorores.

Deus nos ab absurdis hujusmodi opinionibus tueatur, & in sanctâ veritate conservet.

DISPUTATIO VII.

DE JUSTIFICATIONE.

T H E S I S L.

DOctrinam de Justificatione hominis coram Deo breviter tractaturi, & ad disputandum proposituri, principio ipsum vocabulum paucis explicabimus: quod nunquam non aliàs, hic præcipuè necessarium.

II. Forense verò esse sortè tam manifestum est, ut facillè negari non possit. Significat enim *justificare* justum declarare, pronunciare, reputare. *Jes. v, 23. Væ justificantibus impium propter munera.*

JUSTIFI-
CARE.

III. In Hebræo est *דַּרְשׁוּ* à radice *דָּרַשׁ*, cujus significatio in tertiâ conjugatione per judicium & adseverationem

tionem

tionem alterius alteri tribuit motum & qualitatem illam, quam notabat in primâ.

IV. Ita itidem in tertiâ significat רשע quod priori contrarium est, injustum pronunciare, condemnare. Proverb. XII, 2. Pf. xxxvii, 33. Ita כזב mendacij arguere aut convincere, Job. xxiv, 25. Et essent plura; sed ad nostrum.

V. Quod aio in toto Veteri Testamento non legi nisi aperte & directè (unum excipio locum Danielis) in isto, quem diximus, significatu forensi. Et in primis ille manifestus est in locis, in quibus ad justificare suo contrario: ad condemnare adponitur aut opponitur. Vide Deut. xxv, 1. I Reg. iix, 32. Job. ix, 20; xl, 3. Proverb. xvii, 15.

VI. Neque alium introducet in Novum Fœdus, qui consideraverit & utrumque ab eodem Spiritu profectum esse, & hoc illi conforme Græcum sermonem ad Hebræi veritatem & proprietatem adcommodare. Vide Matth. xii, 37. Luc. xlix, 14. Act. xiii, 38.

VII. De locis, quibus noster hic articulus vel adumbratur vel tractatur, præcipua cura & quæstio. In ijs verò nullum alium inesse abundè testetur insignis sententia Pauli: Quis adusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? &c. quam repetit ex Iesaiâ, qui ait: Juxta est, qui justificat me, quis contendet mecum?

IX. Quippe placuerunt Spiritui sancto hæ forenses voculæ, quibus adpositè depingeretur forum illud, in quo homo peccator coram cœlesti tribunali accusatur, & à judice Deo opt. max. justificatur, hoc est, justus pronunciatur.

IX. Quo-

IX. Quoniam verò justificantur peccatores (id enim liquet; quum omnes homines tales sint, & Deus dicatur justificare impium) eorum peccata ipsis remitti, Rom. 4, 5. aboleri & non imputari necesse est.

X. Iustificatio igitur est remissio peccatorum. Inspiciantur & conferantur Psal. xxxii, 1 & 5; lxxxv, 2. Matth. vi, 12; ix, 2; xlix, 27; xxvi, 28. Marci i, 4. Luc. i, 77; iii, 3; vii, 48. Act. ii, 38, v, 31; x, 43; xiii, 38. Rom. iii, 25; iv, 7. Eph. i, 7. Coloss. i, 14. Et observentur æquivalentes scripturæ loquutiones admodum illustres; quales sunt. Non intrare in iudicium, Psal. cxliii, 2. Remotio iniquitatum tanta, quanta est distantia orientis ab occidente, Ps. ciii, 12. Deletio iniquitatum & oblivio peccatorum, Ies. xliii, 25; Ps. li, 1 & 9. Ablatio iniquitatum, & transitus super prævaricationes, Miche. vii, 18. Projectio peccatorum in profunda maris, v. 19. Emundatio ab omni iniquitate, Ierem. xxxiii, 8. Iezech. xxxvii, 23. I Ioan. i, 7. Non imputatio peccatorum, Rom. iv, 7. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum. II Cor. v, 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum.*

XI. Hinc manifestum est, justificationem nostram non esse impletionem aut observationem Legis. Præterquam enim quod eam removeant quæ jam dicta sunt; nominatim etiam removeretur & alibi & in epistolis Pauli vel maximè ibi, ubi ex professo hujus doctrinæ tractatio instituitur, utpote Rom. iiii & iv; Gal. ii & iii.

XII. Accedit quòd Lex requirat totam animam, Deut. 6, 5. totum cor, omnes vires, & omnes cogitationes; quòd Matth. 22, non requirat tantum externam obedientiam, sed trans- 37.gressus Luc. 10, 27.

DE JUSTIFICATIONE.

154

Matth. 5.

Jac. 2, 10.

gressus sit, exempli gratiâ, quinctum præceptum, qui vel fratri suo irascatur, vel Raha eum aut fatuum adpellet; quòd quicumque totam servaverit, offendat autem in uno, factus sit reus omnium.

Act. 15, 10.

1 Reg. 8, 46.

Rom. 3, 10.

19.

1 Joh. 1, 8.

Prov. 21, 6.

Ps. 32, 6.

130, 3.

XIII. Hoc considerato consideret unusquisque, an Legem ullus mortalium etiam renatorum unquam servaverit, aut servare possit. Hoc *jugum*, ait Petrus, neque patres nostri neque nos portare potuimus. Ad cæremonias ne restrinxeris; aut sub eorum onere omnes humanas vires defecisse dixeris. *Non est homo, qui non peccet*, ait Salomo. *Non est justus, ne unus quidem: omnes deflexerunt & inutiles facti sunt.* Necesse enim est ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Si igitur dixerimus nos peccatum non habere, nosmetipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Quoniam etiam qui justus in die cadit sepries. Et pro remissione peccatorum orat omnis sanctus, quod omnes orare docuit Servator: *Dimitte debita.* Nam si iniquitates observaverit Dominus, quis sustinebit?

Qza 8, 21.

Rom. 7, 14.

19.

21.

22.

23.

Gal. 5, 17.

XIV. Quod si nec dum intelligit, consideret cogitationes cordis humani malas esse à pueritiâ: consideret, quæ scribit Paulus: *Scimus legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. Invenio hanc legem volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiaceat. Condelector legi Dei quòd ad interiorem hominem. Sed video aliam legem in membris meis &c.* Quippe caro concupiscit adversus spiritum.

Deut. 28, 58.

Gal. 3, 10.

XV. Usque adeo rectè ex Moseh collegit: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus que*

que scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et infra: Si data
esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.

XVI. Objicitur: Quid igitur Lex? Respondet: *transgressionum causâ adposita est.* Item: *Pædagogus noster fuit in Christum.* Et alibi. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.*

XVII. Et nota moralem legem esse, quæ transgressionum causâ adposita, & per quam cognitio peccati: nostramque justificationem de morali legis observatione negari.

XVIII. Atque de hoc quia negetur, negari quoque de infusione qualitatum ac virtutum & habitualium & actualium. Nam hæ quoque ad legem spectant: quum dicantur in nobis inhaerentes operari, Deo quæ & mandatis ejus satisfacere. In solidum verò justificatio quibuscumque hujusmodi à Spiritu sancto adimitur, & esse dicitur gratuita remissio peccatorum & imputatio meriti Christi. *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem Deus suo ipsius Filio misso &c.* Si possibile aliquid legi, aut si per legem justitia, Christus frustra mortuus est.

XIX. Neque tamen interea negamus, perpetuò conjunctas esse justificationem & renovationem: at res dicimus esse diversas, adeoque Paulum distinguere. *Christus factus est nobis justitia & sanctificatio:* quippe hanc effectum esse, qui illi suæ causæ necessario adsit. Unde simul atque justificatur quispiam, immediatè sequitur innovatio. Verum quæstio est, quid sit justificatio, non quid ei inseparabiliter adhæreat.

XX. Constat itaque de formâ, sive de eo quid

res sit, aut non sit. Ulterius disquirendum est de productibus aut efficientibus eam.

MATE-
RIA JU-
STIFICA-
TIONIS.

XXI. Materiam quidem hominem esse, eumque peccatorem, antea probavimus. Ut vel hinc adpareat ab ipso tamquam passivè & in potentiâ ad formæ introductionem se habente non proficisci ipsam formam. Quare sui justificationem homo efficere non potest.

Jesa 29, 13.
Matth. 15, 9.

XXII. Sed neque præparationibus aut operibus suis mereri potest, ut à Deo justificetur. Si enim opera illa sine mandato fiunt, frustra fiunt. Sin ex mandato, *num gratiam habet servo, quia fecit, quæ illi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.*

Luc. 17, 19.

Rom. 14, 23.

XXIII. Deinde quum peccatum sit, quidquid ex fide non est; ex fide verò non operetur nisi regeneratus & justificatus: sequeretur hominem peccatorem qui sui justificationem mereatur, peccatis eam mereri. Quare optimè August. lib. de fide & operibus c. XIV. *Sequuntur opera justificatum, non præcedunt iustificandum.*

Heb. 11, 9.

XXIV. Et quum à Deo non possit quid impetrare, qui ipsi displiceat; displiceat verò quicumque extra Christum & sine fide est: etiam in eandem absurditatem hoc modo devenitur.

Eph. 2, 1.

1. Cor. 4, 4.

Ti. 3, 1.

XXV. Quamquam virtutes in suo genere non deminimus, sed potius bonas, laudandas & sectandas prædicamus: in hoc tamen puncto & justificationis momento multò magis de non renatorum, h. e. *in delictis & peccatis mortuorum*, operibus fateri cogimur, quod de suis renati Paulus & Jesaias fassi sunt. Ille quidem: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum. Et: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, eaque ipsa alibi*

scribæ.

missa vocitat. Iste verò: *Facti sumus ut pollutio omnes nos, & ut vestimentum inquinatum omnes justitiæ nostræ.*

XXVI. Nam & renati, quamdiu vivunt, carnem circumferunt, ejusque contra Spiritum pugnam & membrorum repugnantiam sentiunt. Neque igitur renatorum opera ex totâ animâ & toto corde proficiscuntur. At hoc Lex requirit; & *Dominus scrutans corda & probans renes illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Adde quòd unum aut alterum bonum opus continuò contaminetur, evacuetur & annihiletur peccatis longè pluribus ac gravioribus.

XXVII. Verùm fatis superque quæ Paulum disputare monuimus, legem & opera legis remonent; & hoc non minus quò ad modum efficientis, quàm quò ad modum formæ: ut omninò verum sit, hominem nullis præparationum aut dispositionum operibus suam justificationem promereri posse.

XXVIII. Hoc enim vocatur in dubium, an bona opera, an habitus, an virtutesificent, sive id fiat per modum formæ, sive efficientis. Nos utrumque negamus: neutiquam negamus, studendum esse bonis operibus, aut faciendos dignos pœnitentiæ fructus. Nam *arbor bona facit fructus bonos*: prius tamen ipsa bona sit, necesse est. *Et non vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem: ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus sapienter & justè & piè vivamus in præsentis seculo.* Vide Rom. VI. Coloss. III. Gal. V. 24. Tit. III. 8.

XXIX. Quoniam itaque homo suæ justificationis efficiens causâ nullo modo esse potest; superest ut non in ipso eam quaeramus. At nemo nos rectius duxerit nec docuerit, quàm qui ipse illam *neque ab homine accepit,*

Philip. 3. 8.
c. 64, v. 6.

Jere. II. 20.
17, 10.
1 Cor. 4, 5.

ad Rom. &
Gal.

Matth. 3. 8.
7, 17.
1 Thef. 4, 7.
Tit. 2, 12.

Gal. 1, 10.

cepit, neque didicit, sed retegente Jesu Christo. Is verò ita: *Justificati gratis ipsius gratiâ. Rom. III, 24. Tit. III, 7.*

GRATIA
DEI.

Tit. 3, 4.

XXX. Neque quid vocula GRATIÆ (non urgebimus vim ipsius vocabuli, & proprietatem omnium linguarum) hisce in locis innuat, ambigere potest, qui eos inspicit. Explicat enim ibidem luculenter. *Quum adparuit, ait, benignitas & humanitas nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos fecit nos.*

XXXI. Ut nefas sit in adversarium sensum detorquere, & contendere per *gratiam significari* gratis infusam qualitatem seu accidentalem animæ formam sive habitum, per quem operemur. Nam contradiceret sibi Apostolus, si primùm diceret: *Salvos nos fieri non ex operibus justitiæ quæ fecerimus;* deinde adderet: *Justificari nos gratiâ,* & hoc idem esset, quod *justificari nos gratis dato habitu per quem operaremur & mereremur.* Utiq; enim & ista forent opera justitiæ quæ fecerimus, quamquam provenissent ex datâ gratiâ. Et quomodo sit in iustificatis peccatum pugnans contra legem, si justificari sit per gratiam formaliter justum fieri?

XXXII. Idem quoque manifestum est ex ijs, quibus docet justificari nos sine meritis, sine lege, sine operibus legis. Infusa enim gratia maximè operatur & meretur; & nequaquam distingui potest contra legem, quum à lege requiratur & legi satisfaciatur.

XXXIII. Paulus itaque utitur his formulis Rom. IV, 4. *Operanti merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum. Non operanti verò &c.* Rom. V, 14. *Non estis sub lege, sed sub gratiâ.* Rom. XI, 6. *Si gratiâ, non jam ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Gal. V, 4.

Qui

Qui in lege iustificamini, à gratiâ excidistis. Petrus in concilio Hierosolymitano: *Jugum legis neque patres nostri, neque nos portare valuimus. Sed & per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illi.*

AG. 15, 10.

XXXIV. Capite primo ad Ephesios verba adeo clara, ut nemo non animadvertat per Gratiam denotari gratuitum favorem. Quippe hujusmodi sunt: *Prædestinavit nos in filiorum adoptionem secundum bonum adfectum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, & ἡ ἐχαρίτωσεν in quâ gratos habuit sive dilexit nos in dilecto.*

v. 5.

XXXV. Capite sequenti priusquam diceretur; *Gratiâ servati estis*, præmissum est: *Deus qui dives in misericordiâ propter plurimam caritatem suam quâ dilexit nos, & quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.*

v. 8.

v. 4.

Ad Colossenses c. III, v. 13. *Ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, καὶ χαρίζομενοι ἑαυτοῖς, ἐάν τις πρὸς πνεῦμα ἔχη μομφὴν κατὰς καὶ ὀχλείας ἐχαρίσατο ὑμῖν, ὅτι καὶ ὑμῖς.* Numquid & nos χαρίζομενοι ἀλλήλοις infundemus aliquem habitum? Sic

& cap. II, v. 13. *Χαρίζομενοι ἑαυτοῖς πάντα τὰ κατὰ τὸ πνεῦμα.*

Χάρις igitur nihil aliud est Paulo, quàm gratuitus favor, peccata condonans. Accedat testimonium Joannis: *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Nam *data est nobis gratia ante tempora seculorum;* conjungiturque cum proposito divino: ut inharens in nobis qualitas ne quidem fingi possit. Ut neque nisi cum implicatione contradictionis Rom. v, 20. *Ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia.*

1 Joh. 4, 19.

2 Tim. 1, 9.

XXXVI. Quid alibi (ut 1 Cor. XII, 3; Eph. IV, 29; Colof. IV, 6;) metonymicè *Gratia* significet, hic operose non inquiremus. Operæ precium autem est adnotare, adversarios Pontificios, qui per gratiam quam ipsi gratum

PONTIFICIORUM SENTENTIA,

facientem

facientem vocant, & à Paulo intelligi atque infusum habitum esse dicunt, admodum inter se dissentire, quisnam & qualis hic sit habitus. Thomas I, II, q. cx, art. III, docet realiter distinctum esse ab habitu caritatis; Albertus Magnus formaliter; Alexander Alensis, Scotus, Richardus, Henricus non nisi ratione; Durandus II, dist. xxvi, q. I, num. vii & iix, solis vocabulis: nec adhuc inter eos convenit. Nam Greg. de Valentia Thomam sequutus gratiam hanc diversum à caritate habitum esse disputat, comment. in I, II, disp. IIX, q. II, puncto I I; Bellarminus contra re non distingui ab habitu caritatis, l. I, de gr. & lib. arb. c. vi. Nempe tantos doctores, modò nobis strenuè contradicant, non pudet ignorare, quidnam illud sit, quo formaliter iusti sint coram Deo, & in quo vita sita & salus. At nobis sufficit demonstrasse, per *Gratiam* in locis, quibus de justificatione & salute nostrà tractatur, nihil denotari aliud quàm gratuitam clementiam & misericordiam, quâ Deus nos immerentes amplectatur.

XXXVII. Quod quò planius esset, Apostolus insuper voce *δωρεάν*, quæ omnem meritum ac precium excludit, usus est, ubi ait: *Justificati gratis ipsius gratiâ.* Quamquam enim gratis infunderetur ista gratia, non tamen gratis justificaremur, si gratia esset, per quam habitualement operantes condignè mereremur.

XXXIIX. Gratis itaque à parte nostri. At perfectam obedientiam, plenam satisfactionem & sufficiens meritum rigor justitiæ divinæ exigit. Quare hæc etiam continuò subjungit. Addit enim: *Per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: quem proposuit Deus propiciationem per fidem in ipsius sanguine.* Hic videlicet causa efficiens est per modum meriti.

XXXIX.

XXXIX. Deus enim eum, qui non noverat peccatum, 2 Cor. 5, 21.
pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

XL. Meritus verò est δ θ ϵ α ρ ω π ϵ & agendo, & MERITUM
CHRISTI.
Galat. 4, 5.
 patiendo. Agendo quidem, quia factus sub lege venit ad
 implere legem. Neque injuriam fecit, neque dolus in ore ejus.
 Patiendo, quoniam languores nostros ipse tulit, & dolores
 nostros bajulavit. Et vulneratus est propter prævaricationes
 nostras, adtritus propter iniquitates nostras. Castigatio pro pace
 nostrâ super eum. Jes. 53, 9.
4.
5.

XLI. Pœna igitur super eum, non sola culpa: &
 utramque tulit, pro utraque satisfecit. Atque pro culpâ
 non tantum originali, sed etiam actuali: nam & hæc &
 illa nostræ sunt: ϵ *sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.* 1 Joh. 1, 7.

XLII. Neque hoc, quia sanguis est nudi homi-
 nis: sed quia Deus est, qui adquisivit Ecclesiam per pro-
 prium sanguinem; quia Dominus gloriæ est, qui crucifixus;
 quia auctor vitæ est, qui interfectus. Act. 20, 28.
1 Cor. 2, 8.
Act. 3, 15.

XLIII. Hujus sufficientissimi meriti sufficien-
 tiæ derogant, quicumque operum merita comminiscun-
 tur, ipsique aliquid ejus, quod isti totum debetur, adscri-
 bunt. Nam per unius obedientiam justî constituuntur multi.
 Et unus est Mediâtor. Rom. 5, 17.
1 Tim. 2, 5.

XLIV. Totum verò istud meritum nostrum fit
 per imputationem, quâ Deus Pater quæcumque suus
 Filius egit & passus est misericorditer nobis imputat, qui
 neque agendo legi implendæ, neque patiendo pœnæ
 sustinendæ satis esse possumus.

XLV. Atque ad eundem modum prius ipsi Fi-
 lio imputata sunt, quæ nos oportuisset & agere & pati;
 non secus ac si ille legi subjectus fuisset, aut delicta no-
 stra perpetrasset. Vide Jesai. LIII. II Corinth. v.

X

XLVI. Ve-

XLVI. Verum enimvero, sicut Filio realiter non est infusa nostra iustitia, sed tantum consilio & beneplacito divino imputata: ita neque nobis iustitia aliqua infunditur, sed imputatur.

XLVII. At huiusmodi imputatio, quæ fit voluntate & adprobatione Θεῶ τῶ καλῆτιος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, efficacis adeo est, ut Christum oportuerit ob ista sibi imputata delicta atrocissimum supplicium subire: nos vero ob hoc nobis imputatum meritum adpareamus in conspectu Dei iusti & sancti, quasi nihil mali umquam fecerimus, aut abundè pro factis satisfecerimus.

XLIX. Ideo & Paulus inveniri cupit in Christo non habens propriam iustitiam, sed illam quæ ex fide Christi; quam cui homini Deus imputet, eum beatum alibi prædicat. Ideo Jeremias bis dixit: *Jehova iustitia nostra.*

Rom. 4, 6.
Jere. 25, 6.
33, 16.

XLIX. Lux huic rei non obscura à similibus, quibus utitur scriptura. Debemus homini regi, cui adsimilatum est regnum cælorum, myriadem talentorum: captivi detinemur à diabolo, peccato, morte. Neuter ibi sumus solvendo. Venit Christus delens quod erat adversus nos chirographum, adfigens illud cruci. Exspolians principatus & potestates traduxit confidenter, triumphans illos in seipso. Hæc & debiti & λύτῃς persolutio nostra non potest fieri, nisi per imputationem, quâ mentali translatione pro nostro habetur, quod alterius est.

Colof. 2, 14.
15.

L. Est & hostiarum Veteris Testamenti (quæ typus & figura Christi erant) eadem ratio. Perpendantur hæc verba: *Et fulciet Aharon ambas manus suas super caput hirci viri, & confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israël, & omnes prævaricationes cum omnibus peccatis eorum: & dabit eas super caput hirci, & mittet in manu viri oportuni.*

Levit. 16, 21.

tuni :

uni ad desertum. Et portabit hircus super se omnes iniquitates eorum in terram sejunctionis. Hic utrobique mera rationalis imputatio tam iniquitatum quas patrarat populus ad hircum, quàm exportationis earum ab hircò præstitæ ad populum.

L I. Quæ omnia mirè conveniunt cum ijs, quæ supra de notatione justificationis & ejus formâ diximus: quòd nimirum illa sit forensis, ista consistat in remissione peccatorum. Nam Paulus clarè declarat idem esse *imputare justitiam*, quòd *Non imputare peccatum* sive *remittere* & *tegere illud*. Vide Rom. IV, v. 6, 7, 8. Nempe simul & semel imputatur meritum Christi, & remittitur peccatum, ut hic sit unus & idem divinus actus, non nisi formaliter ratione objectorum distinctus.

L II. Et hæcenus de merito, propter quod nobis imputatum justificamur. Sed non hoc solum imputari dicitur, verùm etiam Fides. Abraham enim *credidit in Dominum, & imputavit ei ad justitiam*. Quòd aliquoties repetit Paulus Rom. IV, & Galat. III.

L III. *Non scriptum est autem, inquit propter ipsum solum, quia reputatum est illi; sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum.* Ideoque paulò antè in genere dixerat: *Non operanti, credenti autem in justificantem impium, reputatur fides ejus ad justitiam.*

L IV. Ubi observandum Imputationem, quæ actio & cogitatio mentalis est, dici posse Personæ vel Rei. Personæ, quando ab unâ ad aliam transfertur, quòd illius quidem proprium: & hoc imputatione, id est, cogitatione, ut patet in exemplis. Injustitia nostra in Christum transfertur neutiquam realiter, efficaci tamen imputatione; Nam *Jehova conjecit in eum iniquitates omnium nostrum*.

FIDES.

Gen. 15, 6.

Rom. 4, 22.

23.

5.

IMPUTA-

TIO QUO-

MPLIX.

Jes 53, 6.

v. 18.

fr. 18. quemadmodum vicissim in nos ipsius iustitia. Ita Paulus ad Philemonem de Onesimo: *Si aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi me à manu, ego reddam.* Adeoque in hac imputatione duas personas esse necesse est, à quâ transfertur, & ad quam transfertur, quidquid tandem id sit, quod transfertur. Eum enim qui transfert, præsupponimus.

L.V. In alterâ duas oportet esse res, quarum una putetur & habeatur pro aliâ, sive æquali, sive viliore, sive præstantiore. Unum sufficit subjectum aut persona, cui imputetur. Exempla. Num. xliix, 27. *Reputabitur vobis (pura Levitis de datâ decimâ offerentibus) elevatio vestra sicut frumentum de arêâ, & sicut plenitudo de torculari.* Psal. cvi, 30. *Stetit Pinehas & dyjudicavit, & prohibita est plaga, & reputatum est ei ad iustitiam, in generationem & generationem.* Pinehæ certè nulli infusa adfirmatur iustitia, sed zelus ille imputatus ad iustitiam, ita ut ipsi confirmaretur sacerdotium. Rom. ii, 26. *Præputium illius in circumcissionem reputabitur.*

L.VI. Est tertia analoga quædam reputatio, quâ res id, quod reverâ est, esse putatur & iudicatur, ut quando iustitia pro iustitiâ, peccatum pro peccato habetur. Potest quoque vocari Imputatio secundum debitum, cuius scilicet fundamentum sit in ipso. Rom. iv, 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

L.VII. Analogam verò dicimus respectu priorum. Nam licet peccatum à nemine pro peccato reputetur, peccatum tamen est: accedit tantùm conceptus & iudicium hoc mentale, nihil rei nec cogitando addens aut detrahens. Priores verò per conceptum mentali de-
creto

creto rationabiliter vel quod illius est, illius faciunt; vel rem aliam pro aliâ accipiunt.

LIIIX. In negatione istius, quam modò Analogam adpellavimus, imputationis nostram sitam esse justificationem, jam antè ostendimus. Deus enim nostra peccata non imputat, id est, pro peccatis non habet; accipit autem punit. Talis quoque usus vocabuli hujus in deprecatione Simhi ad Davidem: *Ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem, & ne memineris, quod iniquè egit servus tuus &c.* 2 Sam. 19. 19 Priorum primâ sive Personali illâ imputatur nobis meritum Christi; quam veritatem paullò ante probavimus. Alterâ seu Reali λογίζεσθαι ἢ πιστεῖς eis διχοποῦνται imputatur fides ad justitiam, id est, habetur & judicatur esse pro justitiâ, sive loco justitiæ.

LIX. Postquam enim causam efficientem principem, deinde meritoriam quoque exposuimus, & de imputatione necessaria monuimus; jam commodè tractabimus causam instrumentariam, eam quæ est respectu nostri adprehendentem, quam dicimus esse solam fidem. SOLA FIDES.

LX. Probamus liquidâ scripturâ. Gal. II, 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, NISI per fidem Jesu Christi.* Hic satis manifestò expressa est particula exclusiva, ut mirum sit Bellarminum eò arrogantia processisse, ut scriberet: *Solent quidem adversarij perpetuò jaclare verbum Dei expressum, atque ad hoc unum caput dogmata sua omnia revocare. Sed in hac causâ destituuntur isto præsidio. Nusquam enim hætenus ostendere potuerunt in sacris literis illam particulam S-O-L-A, cum de fide justificante agitur. Ignorat fortè Bellarminus enunciationes exclusivas & exceptivas, & exceptivam negantem factam per Nisi æquivalere exclusivæ affirmati signi factæ per Sola.* I. r. de Justific. 16.

hoc compluribus alijs exemplis ostendi, sed pauca de-
 memus è sacris litteris. In eâdem epistolâ ad Galatas
 ait Paulus: *Alium Apostolorum non vidi nisi Jacobum fratrem*
Domini, h. e. solum Jacobum ex alijs Apostolis vidi. C. VI,
 v. 14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu*
Christi, h. e. in solâ cruce Christi glorior. Ita Matth. XI V,
 v. 17. *Non habemus hîc nisi quinque panes & duos pisces*,
 h. e. tantum quinque panes &c. C. XV, v. 24. *Non sum mis-*
sus nisi ad oves perditas domus Israël, h. e. ad solas eas mis-
 sus sum. Marci II, 26. *Panes propositionis non licebat man-*
ducare nisi sacerdotibus, h. e. solis sacerdotibus. C. V, v. 37.
Non permisit quemquam se consequi nisi Petrum & Jacobum &
Joannem. Joan. XVII, 12. *Nemo ex eis perijt nisi filius per-*
ditionis. I Cor. I, 14. *Neminem vestrum baptizavi nisi Cri-*
spum & Cajum, h. e. solos Crispum & Cajum baptizavi.
 Isthæc omnia evincunt, cum Paulus dicit: *Non justificatur*
homo nisi per fidem Jesu Christi, idem esse ac si diceret, *Per*
solam fidem Jesu Christi justificatur homo. Habet igitur hîc
 Bellarminus particulam exclusivam, quam invenire non
 poterat. Sic quoque habetur Marci V, 36. Luc. IIX, 50.
Crede tantum. Omitto quòd Rom. XV, 5, in Syriacâ trans-
 latione legatur: *Ei qui non operatur, sed tantum בלחוד cre-*
diz in eum, qui justificat peccatores, imputatur fides sua ad ju-
stitiam.

LXI. Huc faciunt prædicta pænè omnia. Quo-
 niam enim, qui impij sumus, justificamur, idque neque
 infusâ justitiâ, neque observatione legis, neque meritis
 aut operibus: verum remissione peccatorum gratis ex
 merâ misericordiâ propter meritum Christi; manifestis-
 simè adparet nihil à nostrâ parte ad negocium facere
 præter solam, quâ tanta bona adprehendimus, fidem.

LXII. Ex-

LXII. Exempla quæ passim in sacris occurrunt, idem demonstrant. Nam nullum dubium est omnibus temporibus unam & eandem justificationis rationem fuisse, esse, fore. Siquidem *unus Dominus, una fides*; nosque servemur, quemadmodum patres Veteris Testamenti. Justificati verò sunt, quotquot justificatos legimus, sine operibus præcedentibus, coincidentibus, sequentibus, ex gratiâ per solam fidem. Abraham Gen. xv. Rom. iv. Gal. iiii. Et nota eum annos complures relicta patriâ Deo servientem vivum justii exemplar existisse: nihilominus ex fide justificatum fuisse. Quare justitiam fides non tantum inchoat, nisi scriptura hic absurdè inchoationis actui totum effectum tribuat, & alibi falsò principium atque finem adscribat: *Justitia Dei in Evangelio revelatur ex fide in fidem*; dicendum enim fuisset *ex fide in opera*, si justitiam fide inchoatam opera perficerent. Insuper scriptum est: *Justus ex fide vivet*. Vitam igitur perpetuat fides.

Eph. 4, 5.
Act. 15, 18.

Rom. 1, 17.

Hab. 2, 4.

LXIII. Conformiter Abrahamo justificantur Judæi Act. ii. Samaritani, Eunuchus Act. iix. Custos carceris Act. xvi. Paulus Act. ix; i Tim. i. Paralyticus, Cananæa Matth. ix. Servus debitor Matth. xix. Publicanus Luc. xix. Latio Luc. xxiii. Quod postremum notandum, quum non sine divino consilio in ipsâ passione exhibitum, quò confestim omnibus fructus & effectus ejus, nimirum gratuita per fidem justificatio patet fieret.

LXIV. Quòd si ad hanc à nobis quidquam præter fidem aliud requireretur, falsus foret & falleret Christus ipse, quando dicit: *Deus dedit Filium suum unigenitum, ut omnis qui credit in eum, non pereat*. Petrus: *Huic omnes Prophetæ*

Joh. 3, 16.
6, 40.
Act. 10, 43.

Prophetae

33. 39

Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Paulus: In hoc omnis qui credit, justificatur. Non enim justificari poterit omnis qui credit, nisi à suâ parte illud credere sufficiat, nec exigantur alia. Si exiguntur, oportet adesse; neque sine eis justificabitur, etiamsi credat.

VOCABU-
LUM FI-
DEI VA-
RIE AC-
CIPITUR.

LXV. Quoniam verò non unam significationem obtinuit vocabulum Fidei, sequitur ordine, ut quænam & qualis justificans illa sit, ostendamus.

LXVI. Quamobrem observandum, Fidem quandoque dici de Deo, & denotare fidelitatem & veracitatem ejus in servandis promissis & operibus quibuscumque. Psal. xxxiii, 4. Jes. xi, 5. Rom. iiii, 3.

LXVII. Quandoque, imò ut plurimum pro hominum fide accipi; & hanc esse vel operariam, vel habitualem. Sumemus nobis hanc licentiam, atque ita distinguendi gratiâ adpellabimus.

1 Cor 13, 2.

LXIX. Operaria aliàs denotat constantiam, probitatem & integritatem in dictis & factis. Gen. xxxvi, 44. Levit. vi, 2. Aliàs singularem miraculorum efficiendorum potentiam, de quâ Paulus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Christus item Matth. vii & Luc. xvii.

LXIX. Habitualis alia intellectus est, alia voluntatis. Illa est cognitio doctrinæ, religionis, rerum, historiarum. Ista est fiducia in res per intellectum cognitæ, adprehensas & voluntati representatas.

LXX. Nunc disquirendum, quænam harum justificet. Operaria quidem prior illa, quæ pro pietate, probitate & integritate accipitur, suprâ exclusâ est, quum lex, opera & merita unâ omnia excluderentur. Posteriorem

riorem miraculorum habuerunt etiam multi, qui dicent in die illâ: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus?* Audient verò: *Non novi vos.* Quamobrem nec hæc salvat; nec illa.

LXXI. Porrò Fides quæ notitia in intellectu est, quam generalem aut historicam dixeris licet, communis quoque est dæmonibus, plurimis pereuntibus impijs, adeoque omnibus qui peccant in Spiritum sanctum. Et certè dæmones tantò nobis exactius norunt & credunt quæcumque Deus revelavit, quanto intellectus ipsorum nostro præstantior est. Et multi ex principibus, qui non confitebantur, credebant in Jesum: quippe convicti & coacti evidentiâ testimoniorum & miraculorum sciebant, ac proinde credebant eum esse Messiam. Quia verò nihilominus repugnabant, arguuntur peccari in Spiritum sanctum & irremissibilis. Matth. XI, 31. Marci III, 29.

LXXII. Si itaque eo, quòd sciunt homines & credant Christum Messiam, passum, crucifixum, resurrexisse, ascendisse, &cetera quæ in sacris credenda proponuntur: si, inquam, neque per hujusmodi fidem justificantur, superest ut per alteram justificentur, quam esse diximus fiduciam in hæc ita cognita & credita. Nam hæc fides recipit sive adprehendit Christum.

LXXIII. Prior illa sine hac esse potest, & aliquando est: hæc sine illâ numquam. Oporter enim principio ab intellectu adprehendi & cognosci, in quod progressu feratur voluntas.

LXXIV. Quamobrem in Veteri fœdere jubentur homines fidere & confidere in Deum. His enim circa hoc præcipua difficultas, quum aliàs ut populus Dei col-

lectus ab infantia cognitionem imbiberent. In Novo autem, ubi vocabantur & convertebantur gentes sanam doctrinam nescientes, adhibet Spiritus sanctus vocabula *credere* & *fides*: quæ quidem primario fiduciam significant, neque tamen non notitiam includunt & præexigunt. Atque hinc hæc vaticinatus Iesaias Fidem scientiam appellat. *In scientia, inquit, sua justificabit ipse justus servus meus multos.*

• 53, v. 11.
FIDUCIA.

LXXV. Fidem igitur quæ justificat fiduciam esse docet nos Servator noster, quando paralytico ait: *Confide fili.* Et addit, in quod debeat confidere, videlicet, *remittuntur tibi peccata tua.*

Matth. 9, 2.

• 11, v. 1.

LXXVI. Epistola ad Hebræos Fidem definit in hunc modum: *ἔστι δὲ πίστις, ἐλπίζουμένων ὑποστάσεως, πραγμάτων ἔλεγχος, ἢ βλεπομένων.* Si pro substantia accipias *ὑπόστασιν*, vix explices. Eam enim habent res speratæ sine fide: neque fides ullarum rerum substantia est. Et quum fides qualitas in animo sit, non debet pro eâ definiiri aliquid extra subsistens: verum ipsa, tamquam quæ in animo.

LXXVII. Quare videndum, quid præterea denotet. Sicut verò *ὑπόστασις* unde descendit, non tantum significat *subsisto*; verum etiam *suscipio* & *fidenter adgredior rem audendam*: ita quoque *ὑπόστασις* non pro substantia tantum usurpatur, sed & pro Fiducia. Exempla obvia. Quod Ps. xxxix, v. 8, in Hebræo est *יְהִי מַעֲשֵׂי עֵינַי* *Expectatio mea*, verterunt LXX: *ἡ ὑπόστασις μου ὡς εἰς σὸν ὄψιν.* *Ἐπὶ πάντων τῶν ἀνομιῶν μου ῥῆσάς με.* Paulus II Cor. ix, 4. *Ne forte si venerint mecum Macedones, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos ἐν τῇ ὑπόστασει ταύτη τῆς ἀμυχήσεως in fiducia hac gloriationis, quæ scilicet τὴν ὑπόστασιν*

21301

μίας

αὐτῶν ἐμῶν coram alijs fidenter prædicavimus. Idem verbum in eadem significatione c. XI, v. 17.

LXXIX. Quam & hoc loci præ priorè recipiendum contextus evincit. Evincit præterea hujusdem Epistolæ cap. tertium, quod unam & eandem sententiam dupliciter efferendo v. 14 *ἡμεῖς οὖν* dicit id, quod ante v. 6 *τὸ παρρησιῶν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος* dixerat. *Christi participes facti sumus, si modo τὸ ἀρχικὸν τῆς ἡμετέρας μέλει τέλος βεβαίαν καὶ πόσχωμεν.*

LXXIX. Fides igitur est Fiducia rerum speratarum & ἐλεγχῶν ἢ βλεπομένων, quibus verbis priora vel confirmantur, vel explicantur. Confirmantur, si idem sonant; explicantur, si ἐλεγχῶν sit convictio vel demonstratio in mente nostrâ de rebus quas non videmus, quales sunt divina misericordia, & remissio peccatorum; in quibus fiduciam ponere & ἀποκρίσσειν prius non possumus, quàm animo demonstratæ sint & persuasæ. Semper enim fiducia quæ involuntate est prærequirit & præsupponit noticiam quæ sit in intellectu.

XXC. Porrò Fidem justificantem Fiduciam esse, ex ejus causâ producente ostendi potest. *Fides ex auditu: auditus per verbum Dei.* Rom. 10, 17. Qualis itaque causâ, talis effectus. Quale auditum verbum, talis quoque fides. Quamobrem si in verbo nudæ narrationes proponerentur, utique concederem fidem esse noticiam quæ eas tantum sciret & crederet. At quia in verbo offertur Gratia Dei, Christus, Christique plenissimum meritum, neque non docemur & jubemur *perfectè sperare in eam* 1 Pet. 1, 13. *quæ nobis offertur gratiam in revelatione Jesu Christi:* omnino sequitur hujusmodi etiam fidem effici, id est, talem quæ in oblata cognita & credita perfectè speret ac confidat:

eamque justificare, quandoquidem sola notitia id non possit.

Heb. 4, 16.
10, 22.

XXCI. *Adeamus ergò μετὰ παρρησίας thronum gratiæ: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* At non ij

eph. 3, 12.

μετὰ παρρησίας Regem accedunt, qui Regem norunt: verum qui regium favorem sibi persuasum habent & in ejus benivolentiâ confidunt. Quum in Christo igitur habeamus

eph. 6, 6.

XXCII. Et hæc ipsa est, quam à Christiano milite sumi vult Apostolus hisce verbis: *In omnibus adsumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela illius nequam extinguere.* Quid enim quæso nuda Dei aut articulorum fidei

Plal. 125, 1.

cognitio *adversus principatus, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum seculi & eius: Sed qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, qui non commovebitur, sed in seculum manebit.* Talis itaque est fides, quæ vincit mundum.

1 Joh. 5, 4.

Talis itaque est fides, quæ vincit mundum.

ci. v. 6.

XXCIII. Talis est fides, quæ in precibus passim & commendatur, & flagitur. Nam si sola notitia foret, orarent atque impetrarent etiam diaboli, qui nos hac parte longè excellunt. Neque Iacobus postquam dixerat: *Postulet in fide, adjecisset* *μὴ δὲν ἀγενερόδυνος.* Postulari igitur vult in fide sine hæsitacione aut ambigüâ alternantium sententiarum disceptacione, h. e. in fiducia.

CERTI-
TUDO JV-
STIFICA-
TIONIS.

XXCIV. Ex unis eisdemque fundamentis optimè demonstratur certitudo justificationis nostræ. De eâ enim dubitare quotquot credimus, neque possumus neque debemus, quum sciamus ad hoc quantumcumque est negotij à parte nostrâ neque opera neque merita ulla quid-

quidquam facere; facere tantum solam fidem: neque id quia fides adeo excellens aut condigne merens; utpote saepenumero imperfecta & unius tantum praecepti una virtus: sed quia adprehendit Christum; quia *haec est voluntas patris, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.* Joh. 6, 40.

XXCV. Si verò credentes de justificatione & salute sua dubitare nefas est: validè sequitur, fidem, quâ justificamur & salvamur, firmissimam esse fiduciam. Et econversò, si fides est fiducia, ut certè est: sequitur errare eos qui nos de salute nostra certos esse posse negant, adeoque perpetua dubitatione ambigendum adfirmant.

XXCVI. Neque hoc loci disputamus, an fides fidelium in hac infirmitate tentari, labefactari vel everti possit; neque tantam certitudinem in falsâ aliquâ persuasione aut Epicureâ securitate vel fidè mortuâ & hypocriticâ sive tali quæ errores contra fundamentum foveat, collocamus: verum in fiducia Filio Dei innixâ, atque ab ipso Deo datâ, mandatâ & ordinatâ, per quam servemur.

XXCVII. Ex hac igitur *justificati pacem habemus ad Deum*: quæ profectò cum dubitatione consistere nequit. Inquietus enim est animus, quamdiu hæsitat & fluctuat. Pacem igitur suis relinquit Christus. *Pacem*; Joh 14, 27. *inquit, meam do vobis; non quemadmodum mundus dat, ego do vobis.* Et post: *ut in me pacem habeatis, discipuli, ego vici mundum.* De hac pace & fiducia concionatur Iesaias cap. xxxii, v. 17 & 18.

XXCHX. Eandem inculcant vocabula, quorum usum & ἐργεσίαν considerare operæ precium est. ἀγνευα, Heb. vi, 19. πλεροφορία πίστεως, Heb. x, 22. ὁμολογια τῆς πίστεως;

DE FIDUCIA.

174

πίστεως ἀκλήως, v. 23. καυχώμεθα, ἐπ' ἐλπίδι Rom. v. 2;
Philipp. III, 3. παρησία καὶ παροργισμὸς ἐν πεποιθήσει,
Eph. III, 12.

XXCIX. Petrus eam d'fertē præcipit & requirit,
Dicit enim: τελείως ἐλπίζετε ὅτι τὴν φερομένην ὑμῶν χάριν.
Et Paulus ad eò pro reprobis habet eos, qui non agnoscunt
in se esse Christum.

th. 80. XC. Antea quoque diximus de verbo, per quod
fidem operatur Spiritus. In eo promissiones de recipi-
endis nobis in gratiam & delendis nostris delictis multo-
ties iterantur & ingeminantur. Neque nudæ tantùm,
sed interpositis etiam juramentis. Quorsum illæ, quor-
sum ista, nisi *ut firma sit promissio omni semini: ut fortissimum
solatium habeamus confugientes obtinere propositam spem,
quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam?*

XC. Implicant verò semetipsos, qui contendunt
remissionem peccatorum in genere quidem credi debere,
at de singulis dubitandum esse. Nam veritas generalis
propositionis verificatur in suis singularibus; ideoque si
de singulis dubitandum, de omnibus quoque dubitari
oportet. Neque Ecclesia certa esse poterit, nisi simul
certa sint, quæcumque viva Ecclesiæ membra sunt. Igi-
tur Paulus: *Dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.*

XCII. Præterea verba quibus Filius Dei Apo-
stolis suis potestatem remittendi fecit, admodum clara
sunt. *Quorum, inquit, remisistis peccata, remittuntur eis.*
Nefas igitur dubitare de certitudine remissionis per hu-
jusmodi potestatem factæ; quando videlicet minister ad
te, quod ad Davidem Nathan: *Dominus transtulit pecca-
tum tuum, non morieris.*

XCIII. Et quò hoc certius foret, Sacramenta in-
stituta

stituta sunt fiduciæ excitandæ & confirmandæ, dubitationi verò penitus eradicandæ. Hoc sensu circumcissionem dicit Paulus *σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*. De baptismo adfirmat, quòd Christum induerint, quicumque baptizati sunt. Petrus eum adpellat *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα* eis θεόν. In cænâ quoque quibuscumque fidelibus adplicatur quod dixit qui instituit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur in remissionem peccatorum.*

Rom. 4, 11.

Gal. 3, 27.

1 Pet. 3, 21.

XCIV. Verùm ne hisce quidem sigillis, quæ aliàs omnem dubitationem tollere solent, contentus est: sed in maximam certitudinem obsignat nos Deus Spiritu illo promissionis sancto, qui est obfes vel arrhabo hæreditatis nostræ; *non Spiritus servitutis in timorem, sed adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse conestatur spiritui nostro, quod sumus filij Dei.*

2 Cor. 1, 22.

Eph. 1, 13

& 14.

4, 30.

Rom. 8, 15.

XCIV. Abundè igitur fecit Deus hortando, pollicitando, jurando, obsignando, quò solidissimam in animis fiduciam crearet, & quidquid eam impedire posset, averruncaret.

XCVI. Hujusmodi fiducia fuit in Abrahamo, qui *non disceptavit diffidentiâ, sed confortatus est fide*. In Davide, qui *etiam ambulans in valle umbræ mortis non timebat malum*; qui *in Dominum sperabat non confundi in æternum*. In Jobo, cujus verba profecta ex animo de salute suâ confirmatissimo, hæc sunt: *Ego novi redemptorem meum vivere* &c. *Job. 19, 25.* Qualem quoque fiduciam conceperat Simeon, quum diceret: *Nunc dimittis servum tuum Domine in pace*. Paulus in suâ & quorumcumque fidelium personâ confidentissimè gloriatur: *Certus sum, quod neque mors, neque vita* &c. *Ille sic se currere dicit, ὡς ἄδῆλος: sic pugnare,*

Rom. 4, 20.

Psal. 13, 4.

31, 2.

Job. 19, 25.

Luc. 2, 29

Rom. 8, 38.

1 Cor. 9, 26.

ὡς ἄδῆλος

- 2 Tim. 4, 8. ὡς ὁ κύριος ἀπέχει ἑσέων. Alibi: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illà die.* Item: *In fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ubi animadvertere nequaquam ex aliquâ revelatione deducere Apostolum, quòd vivat in fide: sed ex dilectione Dei & passione Christi, sibi cum omnibus fidelibus communi.
- 1 Joh. 3, 2. Joannes ait: *Scimus, quoniam cùm adparuerit, similes ei erimus.* Et: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam.* Qui ab his divortium facit, & non credit Deo, mendacem facit eum &c.

XCVII. Hujusmodi fiduciam Filius Dei non adpellat arrogantiam aut immodestiam; neque tantùm mandat sed & commendat in hæmorrhousâ Matth. ix, 22. in duobus cæcis v. 29. in Cananæâ Matth. xv, 28. in Centurione Luc. vii, 9. Quod si dixeris hanc fiduciam de impetrandis bonis temporalibus fuisse: respondero Filium Dei id propter quod missus præcipuè egisse, & cœlestia ante terrestria, vel certè sine illis ista non impertivisse. Imò si in impetratione temporalium tanto opere requiritur fiducia, magis majore requiretur in impetratione æternorum, quæ quanto minus aliquâ nostra virtute promereri possumus, tanto magis firmâ fide & fiduciâ adprehendamus & adquiramus necesse est.

XCIIIX. Econtra proferatur unicus scripturæ locus, quo dubitatio vel mandetur, vel commendetur. Ubi que prohibetur, ubique reprehenditur. Marci xvi, 14. ὠνεΐδιστε τὴν ἀπίστιαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν. Luc. xii, 29. μὴ μετρωεῖσθε. Matth. vi, 30. ὀλιγόπιστοι. c. xiv, v. 31. ad Petrum: ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίξασας; 1 Tim. ii, 8. χρεῖς ἀζηλογισμῶν. Jac. i, 6. μηδὲν διακενομένῳ. ὁ γὰρ ἀδιακενομένῳ similis est fluctui maris qui ventis agitur & jactatur.

tur. Et hęc emphaticę sunt voces, quę significanter significant fluctuare, hęsitare, disceptare, *δὸ σαόεις ἔχει* *καὶ διάνοιαν*, & uni parti adfentiri, sed cum formidine alterius.

XCIX. Atque sicut antę diximus firmam fiduciam oriri ex firmo Dei verbo & confirmatis promissionibus, quibus confidere jubeamur: ita dubitatio tamquam defectus à fide, veritate & certitudine oritur à Diabolo dubitationis auctore, naturali cęcitate & humanę mentis disceptatione. Primi parentes expressam Dei voluntatem audierant: ab eã Serpens deducit, & *ἀγρεύων* seducit. Zacharias *διεκέσθη* & obmutuit. Petrus demergi cepit. Mosēs exclusus est terrã promissionis.

Gen. 3.

Luc. 11.

Matth. 14.

Num. 20.

C. Quod si fidei vel proprietas, vel requisitum, vel decus foret dubitatio, nequaquam hęc illam tollet, verum perficeret. At constat fidem eò debiliorem esse, quò intentior est dubitatio. Nihil igitur fidei magis contrarium, quàm ambigere, quo illa aut impugnatur, aut expugnatur. Idque nisi ita esset, non oraremus: *Domine adjuva incredulitatem meam. Adauge nobis fidem.*

Marc. 9, 24.

Luc. 17, 5.

CI. Concludemus itaque, & finem faciemus. Qui dubitat, non credit: Qui non credit, condemnatur. Marc. XVI, 16. Joan. III, 18. Quidquid est ex dubitatione, non est ex fide: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Rom. XIV, 23. Atque ita abundę probavimus, & nos de remissione peccatorum & salutę nostrę dubitare non debere; & fidem per quam justificamur fiduciam esse.

FIDEM ET

BONA O-

PERA SE-

CII. Superest ut breviter ostendamus hanc ipsam

Z

a cari-

PARARI
 NON POS-
 SE.
 I JOAN. 3, 9.
 5, 1.
 Eph. 5, 17.
 Gal. 5, 6.
 Act. 15, 9.

à caritate ceterisque virtutibus re verà separari non pos-
 se. Nam *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*. At
omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.
 E. Et quia *Christus per fidem inhabitat in cordibus nostris*,
 nihilo magis à fide poterit separari caritas, quàm à spi-
 ritu suo Christus. Christus igitur & Spiritus sanctus
 fidem in cordibus nostris producens producit simul in-
 novationem & caritatem: Neque enim ibi ociosus est,
 neque habitat in pectore impio, peccatis & odijs referto.
 Fides itaque hæc *per caritatem ἐνεργῶν*, id est, actuosa
 & efficax est. Nam *corda fide purificantur*.

CIII. Deinde frequens est argumentatio à fide ad
 probandam caritatem; à negatâ caritate ad negandam
 fidem. Ita Paulus ex eo, quod si quis suis & maximè
 domesticis non providet, eundem fidem abnegasse &
 infideli deteriorem esse collegit. Ita Judas, quia prodit-
 turus erat magistrum, ijs qui non credebant, ad censetur.

Cap. 2.
 v. 14.
 18.
 19.
 20.

CIV. Ita Epistola Jacobi fidem, quæ nuda sit
 noticia, pro fide justificante habendam non esse demon-
 strat ex eo, quod ipsi illi, contra quos disputat, eâ præ-
 diti & jactabundi neque à sceleribus abhorreant, neque
 caritatem exerceant. *Quæ, inquit, utilitas si fidem quis
 dicat se habere, opera autem non habeat?* Postea provocat,
 ut hujusmodi homo ostendat fidem sine operibus, quod
 videlicet fieri de verâ non possit: se ex operibus suis
 tamquam effectis ostensurum fidem suam, immediatam
 eorum causam. Quod si autem pro verâ fide substi-
 tuatur historica, etiam eâ fide demones credere, at con-
 tremiscere. Hanc igitur fidem, quæ ab operibus separari
 queat, veram non esse cognosci ex collatione cum
 verâ fide, qualis fuit Abrahami, quæ separari non potuit.

Nam

Nam ille *ex operibus* ἐδικαιώθη, hoc est, compertus est fuisse justificatus, *quum obtulisset filium super altare*. In præputio quidem multis antè annis justificatus erat, non ex operibus sed ex imputatione. Rom. iv; hîc verò *ex operibus fides ejus perfecta fuit*, id est, perfectiùs perspecta. Perfecta enim alio modo esse non potuit, quàm diu in carne ille vixit. *Videtis igitur ex operibus* utpotè immediatè consequentibus effectis colligi & cognosci veram fidem & justificationem, non ex doctrinæ cognitione tamtùm quam pro fide quis venditet. Hujusmodi enim fides, quæ absque operibus est, ipsæ non declaratur, nequaquam salvifica est, sed mortua, sive nulla.

CV. Quamobrem sicut Paulus fidem justificare docet, non ut opera tollat, justificandi tamen vim eis detrahat: ita Jacobus opera stabilit, non ut justificandi vim eistribuat, sed ex quibus justificationem arguat. Ille excludit causâ, iste admittit respectu effectuum, quippe qui cum suâ causâ indissolubili ad eò nexu cohæreant, ut ubi ipsi non sint, neque ibi sit ipsorum causâ; ubi verò causâ sit, scilicet justifica fides, ibi necessariò adsint bona opera: atque ita evidenter ex altero alterum demonstratur.

CVI. Nam verum est, & firmum: Omnis arbor Matt. 7, 17. bona facit fructus bonos. Rom. iix, 14. Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. I Joan. ii, 3. Per hoc scimus quod ipsum novimus, si mandata ejus observamus. v. 4. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non servat, mendax est. v. 9. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. v. 10. Qui diligit fratrem suum, in luce manet. C. iv, v. 8. Qui non diligit, non novit Deum.

CVII. Hactenus de causâ instrumentariâ adprehendente

2 Thef. 3, 2. hendente Fide; quæ quia non est omnium, neque enim ex
 Philip. 1, 29. nobis, quibus donatur in Christum non solum in eum credere,
 sed & pro illo pati: nunc disce causam instrumentariam,
 quâ Deus remissionem peccatorum offert, & fidem per
 quam remittuntur efficit.

ROM. 10, 17. CIIX. Disce verò ex Paulo. *Fides*, juxta illum, ex
 1 Pet. 1, 23. *auditu*, at *auditus per verbum Dei*. Et per hoc renatos nos, di-
 JOAN. 6, 45. cit Petrus. Nam quisquis *audivit à Patre & didicit, venit*
ad me, ait Christus. Deinde instituit Sacramenta, per quæ
 itidem & dat, & firmat, & ratificat. Hinc scribit Paulus:
 Eph. 5, 26. *Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Item: Servavit*
 Tit. 3, 5. *nos per lavacrum regenerationis*. Petrus: *Salvos nos facit*
 1 Pet. 3, 21. *baptisma*. Verbum igitur & Sacramenta sunt instrumen-
 ta ex parte Dei, quibus ille Filium suum quæque Filius
 nobis promeruit, offert, oblata donat, donata consignat.

FINIS JU-
 STIFICA-
 TIONIS.
 Eph. 2, 7. CIX. Finem justificationis respectu justificantis
 hunc docet Apostolus: *ut ostenderet in seculis superveni-*
entibus abundantes divitiæ gratiæ suæ in bonitate super nos
in Christo Jesu. Respectu justificatorum finis est vita æ-
 terna Rom. VI, 22. *Salus animarum* 1 Pet. I, 9.

CX. Atque ita Justificationem, ejusque causas
 & de quibus circa eas controvertitur, explicavimus.
 Formalem quidem statuentes *non imputationem delictorum*
sive imputationem meritæ Christi. Materialem, *peccatores,*
quales sunt omnes homines. Efficientem principem, *gra-*
tiam, id est, gratuitum Dei favorem: Meritoriam, meritum
Christi: Instrumentariam adprehendentem, solam fidem,
quæ non nuda sit noticia, sed firma fiducia, caritatem & alia
bona opera tamquam fructus semper & necessario producents;
 offerentem, *verbum & sacramenta*. Finale,
 qualem paulò ante diximus.

DISPF.